



D, d, 43

Vorh. in Pau ~~oK~~  
[HK 1190<sup>a</sup>]  
Pee

Gesch. et Geogr.  
2 A. 101. X<sup>4<sup>1/2</sup></sup>

16

FACULTATIS JURIDICÆ  
DECANUS  
ET  
SENIOR,  
JOHANNES  
HENRICUS

*Meyer/*

JCTUS, ELECTORALIS REGIMINIS  
ERFFURT. CONSILIARIUS, DECRETAL. PROF.  
PUBL. ET JUDICII PROVINCIALIS ASSES-  
SOR PRIMARIUS.

LECT. BENEV.  
S. P. D.





Vemadmodum rerum gerendarum infinita est seges & varietas  
l. 5. de V. O. l. 1. 2. 3. 4. ff. de Pr.  
Verb. ita plurimum evenit, ut propria earundem significandarum nomina deficiant dicit. ll.  
hinc factum, ut contractus alii nominati, alii innominati dicere  
rentur dicit. text. in quibus præter causam & negotium manifestaria & directa conventio interveniret  
l. 3. §. 1. ff. de Job. & act. l. 19. ff. de reb. cred. Sed &  
negotia quædam notata sunt, quibus, ut normen  
quidem nullum, conventio quoque minus inesset,  
cætera tamen non deessent, quæ ad producendam  
obligationem justa atque idonea: factum nempe  
actusque, ut à delictis longè discrepans, ita veris  
contractibus similior; itemque consensus, sed tacit  
us magis, quam apertus, æquitas vero & utilitas  
evidentissima. Hic itaque interpretationis subsidiū  
legum Conditoribus visum, non quidem ut  
veris contractibus ea annumerarent, sed eodem cum  
illis effectu donarent, propter maximam affinitatem  
& similitudinem, quam haberent cum iisdem, pr.  
Inst. de quas. contract. l. 33. ff. de condic. indeb. atque  
ad hoc ipsum quoque designandum non appellatio  
his tributa, sed similitudinis & Jctis frequentissimā  
notā, quasi distincta, prout alias perpetuo Juris usu  
observari constat. Ut enim contractus dicitur iste,  
qui directe & expressè receptus est à Jure gentium &  
manifestè introductus, tanquam res necessaria ad  
communem totius generis humani usum, verus  
dicitur;

dicitur; Sic quasi contractus ille, qui utiliter, seu per interpretationem, quâ fingebaratur convenisse, recipitur ab eodem jure; hæc interpretatio adeo fit per jus gentium, ut sic credendo, conventionem interpositam fuisse, justa exinde videatur petitionis causa & ex eâ detur locus naturali condictioni, alias enim si non fieret sic interpretatio fingendo, conventionem non præcessisse, naturali condictione id, quod abest, peti non posset.

Talismodi vero interpretatio sic instruenda, ut facto & menti contrahentium congruat; uti enim à contrahentium voluntate, sic quoque à facti qualitate diversitas negotiorum pendet; Praevalet tamen voluntas expressa facto, & hoc potior est, quia basis & fundamentum est omnium conventionum, ut ista normam huic tribuat; non autem ordine inverso, quod & æquitati magis convenient, cum & evenire posset, quasi ex uno facto producerentur plures contractus; Puta, si quis alium rogaret, an decem vellet vendere librum, hic responderet, venditus esto; quo casu præsumi potest tam pro venditione, quam stipulatione. Quod igitur & hoc casu haut inutile nonnunquam sit futurum, nobile Judicis officium implorare, quanquam & quasi contractus esset bona fidei, pro sanando saltem libello actionis, & quia alias eidem insignes competunt effectus ex L. 7. sub rubrica *ff. de neg. gestis*, solidè declarabit Nobilis & Clarissimus

## DN. CHRISTIANUS Schöni

Natus Heynevvaldæ prope Zittaviam Lusat. die

: ( 2

Hed.

Hedvigæ 1678. honestis parentibus, jam piè de-  
functis, nimirum JOH. GEORGIO Schöñ/ Ludi-  
moderatore, Matre verò MAGDALENA, natâ LEH-  
MANNIA; utriusque alia ei delata non fuit hære-  
ditas, nisi naturalis vita, nominisque honestas, atque  
cum Christianorum religione paterna maternaque  
benedictio: Quibus tamen divitiis ille contentus  
singularem DEI providentiam sibi semper propitiam  
satis cognovit, ut nihil suis curis, nihil laboribus,  
sed cuncta DEO tribuat, vitæ suæ lineam hâc in-  
signiens epigraphæ: *Divina Providentia*. Ab opti-  
mis suis Parentibus usque ad annum ætatis nonum  
educatus, &, cum in puerili ætate ingenium studiis  
idoneum tempestivè se ostenderet, iisdem quoque  
addictus fuit. Deinde DN. M. GODOFREDUS  
CHRISTIANUS à LANCKISCH, Ecclesiastes apud  
Zittavienses ad Templum Petr. & Paul. meritissimus,  
perbenevolum suum testaturus animum, non so-  
lum Zittaviam & in ædes suas ipsum vocavit pue-  
rum, sed etiam educatione benignè continuatâ sta-  
tim tradidit Gymnasio; quod beneficium, quoties  
animo is repetit, divinæ quoque remunerationi  
commendat. In Gymnasio, postquam classis quinta  
debitum ei assignaverat locum, mox per saltum  
translocatus est in tertiam. Postea singulas classes  
consueto ordine transiit. Præceptoribus primùm  
usus est B. DOERINGIO & B. KRANZIO, præ ex-  
teris verò M. MICHAELE ZIEGERO, sub cuius  
ductu latinæ & græcæ linguæ fundamenta jecit, ut hîc  
Zigerianæ fidelitatis, diligentiae ac benevolæ curæ de-  
meminisse non possit. Quo autem opus benè cœptum  
benè

beni continuaretur auctores ipsi fuere M. JOACH.  
CURTIUS b.m. & M. ADAM ERDMANN MIRUS  
Con-Rector, quorum industriam & favorem com-  
memorat. Jucundissima verò ipsi est recordatio  
B. CHRISTIANI WEISII, quem tunc vocarunt  
Rectorem nominis sui, h. e. sapientem & de literariâ  
juventute meritissimum. Is quicquid in humano-  
ribus, ac præcipue in oratoriis utile, in disciplinis  
autem realibus ad præparationem academicam ne-  
cessarium existimari solet, fideliter tradidit. Postea  
eò progressus est Viri celeberrimi erga dilectum  
suum favor, ut ei, hospitio liberali excepto, Nobiles,  
ad privatissimam Weisii informationem magno nu-  
mero confluentes, committeret præparandos, quo  
vel ipse aliquod laborum haberet levamen, vel, pos-  
itis primorum principiorum rudimentis superstruere  
posset pulchriora. In summa dissimulare non pot-  
est, suâ se moneri conscientiâ, ut Weisio suo grati  
animi monumentum ponat, memor amoris post fu-  
nera pietas. Exacto in ædibus Weisianis qua-  
diennio, & proprio motu & optimi Præceptoris  
consilio, Zittaviam cum Lipsia, Scholam cum Aca-  
demia commutavit, nova ibidem cœlestis providen-  
tia documenta deinceps expertus est: Id quod tan-  
to magis gratâ erga DEUM mente prædicat, quo  
minus ulla hominum & Patronorum commendatio  
vel intercesit, vel quicquam hic fecit, cum omnia,  
post superatas subinde difficultates, velut sponte  
sua per solam DEI gratiam fluere viderentur: Sic in  
ingressu Lipsiensi Vir antiquæ fide & virtute Gene-  
rofiss. DN. de ZEHMEN, Dynasta Franckenhu-

ſæ &c. b. m. statim obtulit non contemnenda ſubſi-  
ſtendi media, quippe Generofiffimi FILII, tum tem-  
poris itidem Academiæ Candidati, jam Sereniff Ducis  
Saxo - Gothani Nobilis Cubicularii contubernio eum  
adjungere dignabatur, quo in conficiendis vitæ Aca-  
demicæ pensis alter alterum vel juvaret, vel excitaret.  
Uti vero Splendidifirima Zehmiana Domus ac specia-  
tim Generof. Dn. de ZEHMEN, paternarum virtutum  
hæres. Vir suo etiam merito suaque præstantia lauda-  
tissimus, veterem gratiam non confirmavit modò,  
ſed singulariter etiam adauxit: Ita ſe debitorem per-  
petuum profitetur, nunquam permitturus, ut vel  
præteriti, vel præſentis temporis devinctifima in-  
termoriatur memoria. Addit geminum fere exem-  
plum, quando non potest non laudare favorem,  
quem DN. OTTO, Senator apud Lipsiensis Pru-  
dentissimus, in diversis rerum caſibus teſtari haęte-  
nus non dubitavit. Ipsiſ deinde ſtudiorum Aca-  
demicorum curſum quod attinet, in *Philofophia* præ-  
legentem habuit DN. D. OLEARIUM, tum utrius-  
que linguae, nunc Theol. Prof. Publ. Eſi verò  
Juris ſtudium amplectabatur Candidatus, *Theologiam*  
tamen non plane negligere potuit, vel quod olim in  
Gymnaſio huic disciplinæ deditus, concionando et  
iam ingenium & linguam exercuerat, vel, quod pro-  
penſo erga Sacras literas amore flagrans, à Politicis  
errore, non condonando, veræ religionis curam ſæ-  
pe negligi ſolere, non ignorabat, vel quod fororio  
quaſi vinculo Eusebien & Themidem placide con-  
junctas eſſe, certum ipſi videbatur; hic lectiones  
privatas à B. GUNTHERO in *Theologiam* The-  
ti-

tico-Polemicam; Publicas vero à DN. D. SCHMIDIO,  
P. P. in Compendium Scherzerianum adornatas per  
aliquid tempus frequētavit. Ad suam vero disci-  
plinam i. e. Jurisprudentiam, animum penitus ap-  
plicavit. Et Antecessorem potissimum habuit  
B. TITIUM, in summ. Provocat. Judic. Confi-  
liario, Supr. Cur. Provinc. & Facult. Jurid. Aſſeff.  
& P. P. JCTum sine titulo celeberrimum: Sub hujus  
igitur manuduſtione *Curſum Juris integrum* absolvit;  
poſtremo etiam, ne doctrinam aliquam, a Titio ſuo in  
ordinem redactam & vulgaribus praejudiciis libera-  
tam, prætermitteret, ad Philosophiam quaſi rediens,  
curavit, ut laudatus Auctor, quam ſcriperat olim ar-  
tem cogitandi exponeret. Sic illuſtris viri institu-  
tioni ſemper adhæſit, ac fidelem ejus ſinceritatem,  
propenſiſſimum aſſeffum, humaniſſimamque benevo-  
lentiam ſemper expertus, nunc poſt mortem Titii ci-  
neres pioſgratoque animo veneratur; Generoſiſſ, au-  
tem DN. a PLANITZ, Hæreditario in Lohma &c. Viro  
eruditioñis & humanitatis laude conſpicuo, quod  
viam ad ſcholas Titii olim monſtraverat, ætatem ſe  
obſtrictum fatetur. De cætero collegiis Titianis  
aliorum quoque JCTorum doctriṇas junxit: Nam  
B. D. ITTIGII P. P. ad *Struvii Jurisprudentiam & Lau-*  
*terbachii Compendium*, nec non DN. D. BARTHII ad  
idem *Systema lectionibus* adfuſit; Postea collegio  
juris Saxonici, præeunte DN. D. SCHRETERO, P. P.  
nomen dedit, ac dehique a Dn. D. SCHACHERO,  
P. P. perlegendorum *Aforum* ipſi copia facta atque  
*practicus, jura in foro afferendi modus* ſimul oſtentus  
est. Subſequenti tempore, cum alii, bona quadam  
opī-

opinione ducti, Oratoriā & Poeticā, nec non Ti-  
tiana, ut vocare nōnulli solent, principia, ab eo di-  
scere vellent, annuente Titio, p̄rælectiones privatas  
instituit, atque alias Theoriam ad Praxin applicare  
non intermisit. Sic igitur bono doctrinæ appara-  
tu instructus Candidatus Nobis quoque suum in so-  
lenni examine, quod à Facultate nostra Juridica, li-  
bello ejus rei ergo oblato, obtinuit, demonstravit  
Jurisprudentiæ luculenter consecratum studium;  
quippe, post textus ex utroque Jure ipsi, ad enodan-  
dum genuinum illorum sensum communicatos, so-  
lidè & memoriter ferè explanavit, arduas atque  
spinosas quæstiones cum obmotis dubiis placavit, at-  
que se haut vulgari Juris scientiâ donatum, testatus  
est; adeo, ut omnium albo calculo a Facultate nostra  
declaratus sit talis, qui dignus omnino sit Doctoralibus  
honoribus: Aperienda idcirco Ipsi est honoris por-  
ta, dummodo prius & publicè suam declaraverit erudi-  
tionem in Cursoria Lectione ad ante citatam L 7. ff.  
*de negot. gest. & inaugurali Disputatione de Legu-*  
*lejimo;* quibus functionibus solennibus expedien-  
dis destinatus est proxime sequens dies Jovis hora  
matutina VIII. in Audit. Jur. Colleg. Major. Qui-  
bus actibus publicis ut Universitatis Proceres & Ju-  
risprudentiæ Cultores interesse dignentur, officiose  
& humaniter invitantur. Publ. sub sigillo Fac.

Jurid. Dom. Trin. III. An. 1714.

---

Typis JOH. HENR. GROSCHII, Acad. Typogr.





153978



St

AB 153918

V077

R





16

FACULTATIS JURIDICÆ  
DECANUS  
ET  
SENIOR,  
**JOHANNES HENRICUS**  
*Meier/*  
JECTUS, ELECTORALIS REGIMINIS  
EFFURT. CONSILIARIUS, DECRETAL. PROF.  
PUBL. ET JUDICII PROVINCIALIS ASSES-  
SOR PRIMARIUS.

LECT. BENEV.  
S. P. D.

